Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2191
Quelle:
Copyright:

sis quinque plagis insignita, *fol.* 135. iterum Deipara una cum Prole facie nigra et inscripta: *Notre Dame Du Pui En Auvergne. Podium Velavorum* seu *Velaunorum* (Puy en Velay) vulgo *Alverniae* tribuitur, quamvis ad *Occitaniam* pertineat. Imago haec tota Gallia claruit. *Fol.* 144. sequuntur Psalmi dicti de Poenitentia adhaerentibus Litaniis OO. SS. in quibus praeter jam *Calendario* insertos Indigetes *Tullenses* etiam *Libaria* invocatur. *Fol.* 160. Officium pro Defunctis, et a *fol.* 193. rursus Preces ad varios Sanctos, quorum chorum ducit paucis notus et habitu loricati Militis depictus *Bernardus* Marchio *Badensis*, cujus *Commemorationem* adscribam: *Du beau Bernard.* Antiph. *O quanta ueneratione est dignus beatus bernardus marchio badensis quia terrenas uanitates spernens in celo triumphum habere promeruit.* Vers. *Propter ueritatem et mansuetudinem et iusticiam deduxit te mirabiliter christi dextera.* Resp. *Quia ex hoc ad celestia regna te collocauit.* Orat. *Omnipotens sempiterne deus qui in beatum bernardum marchionem badensem per donum sancti spiritus tantam gratiam infundere dignatus es ut quicumque ad eum confidenter recurrit salubre remedium a te obtinet tribue nobis quesumus indignis famulis tuis ut qui eius in hoc necessitatis articulo imploramus suffragium sua benigna intercessione apud te opportunum consequi mereamur remedium. Per Christum D. n.* &c. Fuit hic Primogenitus *Jacobi* I. Marchionis a. 1453. defuncti, sed spretis *Magdalenae Caroli VII. Galli* Filiae nuptiis, et jure successionis in *Carolum* fratrem translato iter ingressus in *Italiam* obiit a. 1459. sepultus in *Monte Calerio Pedemontii*, signis, ut fertur, clarus et a *Sixto* IV. 1480. in Divos relatus, quamvis *Ciaconius*, ejusque Subpletores hac de re in *Vita Sixti* nil meminerint. Conjicere licet, in hunc Precum Librum ideo insertum fuisse *Bernardum*, quod matrem habuerit e Domo *Lotharingica Catharinam Caroli Audacis* Filiam. *Fol.* 202. ad *Orationem uenerabilis Bede presbiteri de septem ultimis uerbis domini* eleganter adpictus est *Beda* scribendo occupatus. De Pictore in universum noto, eum formis omnibus senilibus barbam, capillosque caerulescentes, juvenilibus aureos tribuisse.

DCCCCXX.

Codex membraneus lat. gall. R. 1409 Sec. XV. Folior. 49. 8. charactere atro, crasso scriptus, literis initiorum deauratis, et picturatis, Iconibusque XXIV. varias V. et N. T. Sanctorumque Historias repraesentantibus ornatus, Precatorius est, primoque loco continet *Heures de la conception nostre dame*, quae tamen latinae sunt, et in quibus Hora *Sexta* adpellatur *A midy*. Sequuntur gallice *Les VII. doleurs de la vierge marie* cum Prologo *en forme doroison pour impetrer compassion dicel-*